rum altera converget & aream dabit approximando, præterquam ubi r (propter aream infinitam) vel nihil eſt vel numerus integer & negativus, vel ubi $\frac{z}{e}$ æqualis eſt unitati. Si $\frac{z}{e}$ minor eſt unitate, converget ſeries in qua index η affirmativus eſt : ſin $\frac{z}{e}$ unitate major eſt, converget ſeries altera. In uno caſu area adjacet abſciſſæ ad uſq; ordinatam ductæ, in altero adjacet abſciſſæ ultra ordinatam productæ.

Nota inſuper quod ſi Ordinata contentum eſt ſub factore rationali Q & factore ſurdo irreducibili R^{π}, & factoris ſurdi latus R non dividit factorem rationalem Q; erit $\lambda - 1 = \pi$ & $R^{\lambda-1} = R^{\pi}$. Sin factoris ſurdi latus R dividit factorem rationalem ſemel, erit $\lambda - 1 = \pi + 1$ & $R^{\lambda-1} = R^{\pi+1}$: ſi dividit bis, erit $\lambda - 1 = \pi + 2$ & $R^{\lambda-1} = R^{\pi+2}$: ſi ter, erit $\lambda - 1 = \pi + 3$, & $R^{\lambda-1} = R^{\pi+3}$: & ſic deinceps.

Si Ordinata eſt fractio rationalis irreducibilis cum Denominatore ex duobus vel pluribus terminis compoſito : reſolvendus eſt denominator in diviſores ſuos omnes primos. Et ſi diviſor ſit aliquis cui nullus alius eſt æqualis, Curva quadrari nequit: Sin duo vel plures ſint diviſores æquales, rejiciendus eſt eorum unus, & ſi adhuc alii duo vel plures ſint ſibi mutuo æquales & prioribus inæquales, rejiciendus eſt etiam eorum unus, & ſic in aliis omnibus æqualibus ſi adhuc plures ſint : deinde diviſor qui relinquitur vel contentum ſub diviſoribus omnibus qui relinquuntur, ſi plures ſunt, ponendum eſt pro R, & ejus quadrati reciprocum R^{-2} pro $R^{\lambda-1}$, præterquam ubi contentum illud eſt quadratum vel cubus vel quadrato quadratum,&c. quo caſu ejus latus ponen-